Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 601
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 85. p. 2. *Incipit epistola sancti columbani abbatis.* Initium: *O tu vita quantos decepisti quantos excecasti* &c. Extat inter ejus *Sermones* sive *Instructiones* N. V. in *Bibl. PP. Lugd.* T. XII. p. 13.

VI. *fol.* 86. p. 2. *Precepta que dedit pinufius fratribus suis.* Initium: *Nosti quot diebus pro foribus excubans hodie sis receptus* &c. Et finis: *Puritate cordis apostolicę caritatis perfectio possidetur.* Praecepta haec invenies L. IV. *Job. Cassiani de Instit. Renunt.* c. 32 — 43. eorumque Summam contractiorem L. IV. *de vitis PP.* opera *Herib. Rosweydi Antverp.* 1615. p. 548. Bibliographorum tamen, quod sciam, nemo *Pinuphii* Abb. et Presbyteri magni Coenobii non longe a *Panephysi Aegypti* civitate meminit, cujus est etiam *Collatio XX. de Fine Poenitentiae* apud praedictum *Cassianum.*

VII. *fol.* 90. p. 2. *Incipiunt tituli regulę Sancti augustini episcopi.* Numerantur XLVI. sequente ipsa Regula, cujus initium est: *Hec sunt que precepimus obseruari ut in monasterio habitantes post principalia precepta dilectionem dei dico et proximi. primo propter quod in unum estis congregati caritatis uinculum custodiatur. et unanimes habitetis in domo* &c. Finis: *et in temptatione non inducatur.* Non esse hanc *Regulam Augustini*, Eruditi dudum consensere, solam illam, quae *Feminis* data est, eidem relinquentes. Praesentem tamen, cujuscujus demum sit, e T. II. *Monastici Anglic.* transtulit *Marian. Brockius suprac.* in T. II. *Codicis Regularum*, ubi *Additam.* IX. p. 123. non absque magna lectionis varietate exhibetur.

VIII. *fol.* 98. *Incipit Regula pauli et stephani.* Initium: *In primis hortamur ut timorem dei et mutuam caritatem. et unanimitatem omnes in bonis studiis habeamus* &c. Finis: *et nobis remissionem peccatorum condonans in ęternum cum sua pace recipiat. Amen.* Latet aetas, patria et genus monasticum horum virorum. Citant tamen *Augustinum*, et a *Benedicto* Abb. *Ananiensi* in *Concordia Regular.* citantur. Cum ob aestum Monachis ab *Idib. Majis* ad *Id. Sept.* quietem meridianam praecipiant, *Hispanos* aut *Italos* arguas. Denique *Abbatis*, *Prioris* et *Cellarii* meminere. Extat *Regula* haec in *Capita* XLI. tributa T. I. *Cod. Regular.* saepe *cit.* p. 138.

IX. *fol.* 105. p. 2. *Incipiunt alique Sententie In Libro Sancti Augustini Episcopi de Opere Monachorum ad Aurelium episcopum de hoc quod precepit Beatus Paulus apostolus. Qui non uult operari nec manducet.* Liber, unde haec excerpta sunt, habetur edit. *Maur.* T. VI. *col.* 475.

X. *fol.* 112. p. 2. *Incipit Sermo ad Monachos.* Initium: *Instruit nos atque hortatur sermo diuinus. qualiter nos accingere debeamus ad inquirenda promissa sua* &c. Ultima: *ut his spiritualibus* (gradibus) *ascendere mereamur ad promissa domini nostri ihesu christi amen.*